



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 3. Vtrum Sacramentum Eucharistia sit potissimum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS III.

Vtrum Sacramentum Eucharistia sit potissimum?

Respondeo: Sacramentum Eucharistia esse præstantissimum. Est definitum à Conc. Trident. sess. 13. c. 3. Et sess. 7. can. 3. definit Sacramenta non ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud alia sit dignius. Quod est contra Caluinistas, qui volunt omnia Sacramenta esse paria, quia vbique par est verbi Dei dignitas, quo Sacramenta constant.

Ratio Conclusionis est, Quia Eucharistia continet ipsum fontem omnis gratia, cum tota plenitudine suorum meritum: reliqua Sacramenta tantum continent portionem quandam meritum Christi, & certam gratia mensuram. Deinde, reliqua Sacramenta consistunt in vfu & motione quadam transeunte; non enim sunt, nisi dum suscipiuntur: Eucharistia autem est Sacramentum permanens. Vnde à Dionysio c. 3. parte 1. de Ecclesiastica Hierarch. recte vocatur Τέλει τελεσιον, id est, *Imitatio imitationum*, seu Sacramentum Sacramentorum. Adde duas alias rationes, quas habet D. Thomas. Itaque Tertia Ratio est, Quia reliqua Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam, tamquam ad finem. Quarta est, Quia omnia Sacramenta in Eucharistia consummantur.

Quod ad reliqua Sacramenta attinet: Notandum Primò, Singula habere quandam propriam excellentiam, qua cæteris præsent: nam Baptismus excedit effectu: dimittit enim peccatum originale & omnem poenam. Confirmatio excellit gratia plenitudine, qua datur ad fidei professionem. Pœnitentia excellit quatenus excitat mortuos, & quia lapsus est vnicuius remedium. Extrema Vnctio excellit quatenus tollit reliquias peccatorum; & etiã interdum præstat effectu corporalem sanitatem vi Sacramenti. Ordo excellit dignitate Ministrum, & quia hominem in sublimi gradu collocat. Matrimonium excellit ob significationem: significat enim duplicem Christi vnionem, hypostaticam nempe & charitatis.

Notandum Secundo, Cùm D. Thomas ait, *Extremam Vnctionem esse dispositionem ad Eucharistiam*, non velle ipsum dicere extremam Vnctionem necessariò præcedere, antequam Eucharistia sumamus viaticum: nam extremo loco solet Sacramentum extreme Vnctionis infirmis conferri. Sed hoc dicit propter effectu Sacramenti extreme Vnctionis, qui est, tollere reliquias peccatorum: quibus sublatis, homo reparatur ad actionem Christo coniunctiorem, qui proprius est Eucharistia effectu.

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnia Sacramenta sint ad salutem necessaria?

Respondet D. Tho. Baptismus esse omnibus absolutè necessariù: Pœnitentiam omnibus lapsis in peccatum mortiferum post Baptismus: Ordinem non singulis, sed Ecclesia. Reliqua autem Sacramenta non absolutè esse necessaria, sed vt comodiùs ad salutem perueniatur. De hoc plura cùm de singulis deinceps tractabimus.

Ccc liij DE

dicens; *Quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super Aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* id est, qui absoluntur à peccatis. De extrema Vnctione vide eundem lib. 2. de Vnctione infirmorum c. 4. qui liber, etsi non constet omnino an sit Augustini, tamen non potest probari contrarium. De Matrimonio clarè lib. de Bono coniugali c. 7. 15. 18. & 24. vbi docet Matrimonium esse indissolubile, & non amitti per diuortium, quia est Sacramentum: sicut Ordo nõ amittitur, quia est Sacramentum. De Ordine c. 24. eiusdem libri & 1. de Bapt. cap. 1. vbi dicit Ordinem esse Sacramentum, sicut est Baptismus.

Secundò, Obijcit Kemnitius & alij Hæretici, Quod Patres cùm sermonem de Sacramentis expresso instituerunt, nunquam numerant Septem Sacramenta, neque tractant de septem, sed tantum de tribus vel duobus: vt Dionysius, Iustinus, Cyrillus Hierosolimitanus & Ambrosius.

Respondeo Primò, Istud argumentum est ab autoritate negatiue, quo quiduis probari potest. Secundo, Illis Patribus non erat propositum tractare de omnibus Sacramentis, sed tantum de quibusdam quæ ad illorum propositum pertinebant. Dionysius Areop. lib. de Ecclesiastica Hierarchia tractat tantum de quatuor; nempe de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Ordine: tamen epistola ad Demophilum meminit expressè Pœnitentia. Ratio est, Quia ipsius mens non erat agere de omnibus vel de solis Sacramentis: nam agit etiam de Vnctione mortuorum, & consecratione monachorum, quæ non sunt Sacramenta: sed tantum agit de illis in quibus maximè cernitur officium Pontificis, & functio hierarchica: vt patet ex initio libri. Cyrillus autem & Ambrosius & etiam Iustinus tantum agunt de illis Sacramentis quæ in initio recipi solent, quando aliquis cooptabatur in Ecclesiam: quæ sunt, Baptismus, Confirmatio & Eucharistia. Patet hoc ex præfationibus & initijs ipsorum librorum. Cyrillus enim Neophytos alloquens, dicit se velle tractare de ijs quæ iam experientia edocti fuerant. Et Ambrosius, *De Sacramentis*, inquit, *quæ accepistis, sermonem aduorior.* Vnde patet ex Patribus nullum esse testimonium quo vel in speciem hic numerus refellatur. Quamuis enim non numerent ex ordine septem Sacramenta tamen apud illos omnia varijs locis reperiuntur, vt fufius ostendetur cùm agemus de singulis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Sacramenta conuenienter ordinentur secundum modum prædictum?

Docet hoc articulo hunc esse ordinem Sacramentorum: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium. Quo ordine etiam à Concil. Trident. sess. 7. can. 1. & à Florentino in Instructione Armenorum enumerantur. Vide D. Thomam. Hic solùm notandù, hunc ordinem esse assignatù iuxta ordinem procedendi, quo Ecclesia membra perficiuntur, primò in seipsis, deinde respectu aliorum.

7
2. Obiectio, quod Patres nunquam numerent septem Sacramenta.

Soluitur.

9
Quadruplex Ratio.

10
Singula Sacramenta propriam excellentiam habent.

11

12